





Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-535365-p0002-1

DFG

Annente eo, qui est Consilium! E.
122
TRACTATUS JURIDICUS,
De 1689, /
OBLIGATIONE CON-
SILII IMPERITI,

QUEM
PRAESIDE
Amplissimo & Consultissimo
DN. WILHELMO CRUSIO,
Philos. & J. U. D. hujusque in Incly-
tâ Electorali Brandenburgicâ, quæ est Duisbur-
gi Clivorum, Universitate, Antecef-
sore Prim:

Publicæ Eruditorum censuræ submittit
HENRICUS STOCKELMAN,
Calcariensis, LL. Studios.

In Auditorio majori, ad diem 30. Junii,
horis solitis.

P A R S I I.

DUISBURGI ad RHENUM,
Apud FRANCONEM SAS, Academ. Typogr.
Anno M. DC. LXXXIX.



**GENEROSISSIMO, EMINENTI,
EXCELLENTISSIMO**

& omnigena rerum gerendarum pru-
dentia consummatissimo

D O M I N O,

**DN. EVERHARDO DANC-
KELMAN, Domino Heredita-
rio in DUYCKER &c.**

Serenissimi & Potentissimi Electo-
ris Brandenburgici, Domini nostri
Clementissimi Ministro Status & in-
timæ admissionis Consiliario
summe spectabili.

*Domino & Patrono suo submissō
animi cultu ætatem venerando,
Felicitatem!*

Vestræ Excellentiae consilium
domi, dum viðtria Augusti Herois no-
stri arma foris, Germani orbis statum fo-
spitant. Quo præstantior Excellentiae Vestræ inest
consulendi peritia, eo justior nobis & æternitati eam
digne



3

digne venerandi obligatio. Sacro id silentio fieri non
dedecebat, ubi tantæ impar virtuti verborum oratio
decidit. Me tamen & privatæ rationes subigunt, quid
gloriæ, quid beneficentiaæ Vestræ debeam, devota
mente publice testari, his Studiorum meorum pri-
mitiis auspicato Ipsius Nomini religiose consecratis.
Quod etsi immortali ære quam teneris hisce pagellis
dignius erat, tamen ne dubitet velim, quin & inti-
mis simul præcordiorum meorum fibris infixum san-
ctè æternumque sit permansurum. Excellentiam Ve-
stram consultatoriæ prudentiæ perfectissimam Ideam,
vivumque Exemplar meus in delineando animus sibi
præstituit. Non itaque propitiis, spero, oculis de-
dignabitur, quod egregiis indies factis exprimit. In-
terim Deum venerabor O. M. ut Excellentiaæ Vestræ
lætos pulcherrimarum Cogitationum pro Principe &
Patria eventus largiatur ; quò reapse comperiatur:
tam me communi bonorum omnium voto Eam velle
sospitem & in columem, ac Illustre Ipsa boni seculi
Instrumentum præclaris suis consiliis identidem esse
facit Rempublicam!

*Eminentis & Generosissimæ
Excellentiaæ Vestræ*

Devotissimus Cliens
& Cultor
HENRICUS STOCKELMAN.

105(1)50



I. N. D. N. J. C.
DECLARATIO IV.

De

OBLIGATIONE CONSILII IMPERITI.

CONSIDERATIO I.

Juxta generalem ejus naturam
ABSTRACTA.

§. I.

CONSILIU M , si suâ indole æstimes, nulla culpæ, quantumvis latæ, præstatio comitatur. Planè enim naturâ suâ non est obligatorium, quippe quod impleri nec Consultor exigit, nec Consulens promisit. Ille suasit gratiâ tantum tuâ : quid ipsius, ut impleatur, intersit? Tua nunc etiam Tota res, tuique arbitrii est, alterius sequi sententiam an repudiare malis. In re autem arbitrii tui, nec habes, quod alteri imputes, nec si gesseris cum incommodo tuo, quod ab eo reposcas l. 2. §. ult. D. mandat. Qua in re est, quod dicamus, neutrum consulendo animum habuisse, sese ad diligentia aut periculi alicujus præstationem alteri obstringendi. Imo quamvis convenerit, ut quod Tua solùm gratiâ Tibi mandabatur, meo periculo, Tuò ut velis arbitrio geres, non melior est obligatio. Ut puta: mandavi Tibi, ut pecuniam tuam fœnerares, ita, ut arbitrii tui esset: id est, ut cuivis

A

crederes:

crederes: Tu acciperes Usuras, periculum duntaxat ad me pertinet; censet JCtus in l. 48. §. 2. D. mandat. extra mandati formam id esse, i. e. non esse mandatum, non magis, ac si mandem, ut tibi quemvis fundum emas. Quod ego sic intelligo: contrahentes hic mandati contractum celebrare intendisse, cuius bonæ fidei natura non patitur, ut quis in negotio suæ solùm utilitatis causa suscepit quomodounque pro lubitu versetur, eventus periculo in alterum velut mandantem rejecto. arg. l. 29. §. ult. D. pro soc. & l. 10. D. de reg. jur. conf. Donell. Comm. Jur. Civil. lib. 13. cap. 10. pag. 167. n. 20. Aliás nil dubii est, & ante exposui, rectè quem, si istoc animo sit, consilii sui, dummodo certi, indemnitatem alteri secuturo pacto promittere l. 32. D. mandat.

II.

Atque hæc quidem ita habent, si consilium censetur vi suâ. Occasione autem alicujus officii, artisve, quam quis profitetur, fieri potest, ut is ad culpam consilii sui præstandam sit obstrictus, in iis, quæ juxta officium aut artem illam suam consulenti suasit. Artem intelligimus honestam, & quam quis licet profitetur. In arte enim prohibita consulentes promiscuè omnes, etiam qui peri-
tè; imo quo peritus, eo magis pœnâ & animadversione digni-
sunt l. 10. C. de Episcopal. audient. Deinde culpa non unius generis
est; Variæ enim species sub ejus ambitu continentur: non tan-
tum artis, quam quis pollicetur, imperitia; sed etiam imprudentia,
rusticitas, item πολυπραγμοσύνη, ignorantia & autoritatis publicæ
usuratio: Levitas denique seu temeritas. Cum Imperitiâ impri-
mis res erit, ut tamen, si quæ cognatae indolis vitia intra consilii
tramites pertendant occurrant, censoria in transitu virgâ unâ
tangamus.

III.

Imperitia alia *negativa* est, illius artis, quam quis non profite-
tur. Hæc culpæ vitiique nihil sustinet; cum nemo teneatur id
scire, quod sua non refert. Alia *privativa*, artis quam quis pol-
licetur suæ, indeque honestè & sine vitio ignorare non potest.
Græci ἀπειλή appellant. De qua est accipendum, quod JCtus
effatur in l. 132. D. de Reg. Jur. Imperitia culpæ annumeratur. Sic
enim

enim ipse explicat, & regulæ usum ad eum restringit, qui aliquid ut artifex in se recepit, in l. 9. §. 5. D. locat. his verbis: *Celsus etians imperitiam culpæ annumerandam lib. 8vo Digestorum scripsit: si quis vitulos pascendos vel sarcendum aliquid poliendumve conduxit, culpam cum præstare debere, & quod imperitia peccavit, culpam esse; Quippe ut artifex, inquit, conduxit. Quid obstat, quò minus & consilium ab hujusmodi imperitia profectum, autori suo vitio demus? Ratio in eo est: Artifex in iis, quæ ad artem suam pertinent, singularem peritiam atque industriam polliceri deque eā fidem dare videtur. Hanc alter consulendo sequitur, minus autem invenit, dum non leve inde rebus suis incommodum sentit, unde auxilium iis speraverat. Eccujus culpâ? nisi consultoris, ea ignorantis, quæ ut artifex scire tenebatur, quæque se scire, eō dum artem profitebatur, affirmabat. Accedit illum, qui consilium & instructionem ab artifice petit, hoc ipso se illius artis ignarum declarare, saltem minus, quam ille, à quo petit, peritum. Ut sanè ipsâ re videmus, ut plurimum homines, qui aliunde ab alterius quadam arte negotiis suis præsidium querunt, ejus notitiâ & subsidiis à seipsis parùm esse instructos. Quo fit, ut de suggesti remedii qualitate, an sibi conducat, nec ne, haud dignè deliberare, nedum judicare possint. Cessat ergo ratio §. 6. f. mandat. ob quam consilium communiter non est obligatorium: Nempe hujusmodi Consulenti non est quod imputemus, cur consilii utilitatem apud se non exploraverit. Hoc enim non poterat, iis ab arte & ingenio destitutus sciendi mediis, quæ ad illius causæ, quæ suberat, cognitionem præcisè requirebantur.*

IV.

Quid autem, si consilium fuerit manifestè stolidum, quod ideo quisque humano sensu prædictus facile sentiscat, quam sit rei per agendæ minus aptum: ut puta, Consiliarius Reip. ditandæ causâ Principi suo suasit commercia cum finitimis interdicere; vel Advocatus clienti ad obtainendam causæ victoriam Judici manus adipue inungere; aut medicus ægro crurifragii remedium venæ sectionem adhibere; Num consultor obligabitur si consulens id secutus fuerit? Et fortè non immerito quis censeat, in re adeo evidenti

& prostitutæ ineptiæ, quam nemo non sanæ mentis facilè judi-
cio discernat, habere eum, quod sibi imputet, qui consilium ad-
misit, quippe cuius indolem satis novit, certè ignorare citra cras-
sissimæ simplicitatis & inscitiae labem non potuit. Justum inde vi-
deri, ut hic culpa culpam vel trudat vel compenset. arg. l. 39. &
l. 47. *D. solut. matrim.* Verius tamen est, hoc quoque casu Con-
sultorem teneri. Artifici in sua arte alter cæca fide credidit. arg.
l. 12. *D. de stat. homin.* l. 10. *D. de honor. posses.* & autoritate ejus
motus rem stolidam executus est imprudenter; quam & aliter
non fecisset, nisi sibi suasum esset. arg. §. 6. l. mandat. Et quis
dubitat, eâ in re multo graviorem merito videri Consultoris cul-
pam, qui ut artifex suasit, quam illius qui consilium impetravit,
quem credibile est summa artis illius ignorantia fuisse retentum,
quominus consilii ineptitudinem quantumvis manifestam dignè
secum expenderet. Hanc tamen imprudentiæ excusationem, quæ
consulenti opitulatur ad se indemnem ex consultoris obligatione
præstandum, non etiam prodesse ei volumus respectu tertii, for-
tè per consilii executionem immerito læsi. Nam quod hunc atti-
net, evidens illa Consilii absurditas, cuius in consulente culpam
ibi major Consultoris culpæ gradus absorbebat, omnino vim suam
exerit, adstrictâ ei qui consilium perfecit firmâ obligatione, ex
Lege Aquilia vel in factum actione præstandi læso id quod inter-
est. Ita Judex, et si ex consilio sapientis sententiam tulit, si tamen
consilium manifesta laborabat iniquitate, quam Judici & intelli-
gere & corrigere juxtâ in promptus erat, nil opis est, quod à
damno sarciendo eum liberet. Propria enim ipsius culpa & im-
prudentia intercedit, ob quam quasi ex delicto actione in factum
tenetur, in quantum religioni Judicantis æquum videbitur. princ.
I. de obligat. quæ quasi ex delict. & l. ult. *D. de extraord. cognit.* Quod
ipsum maximè obtinet, si & Judex legum aliqualiter se peritum
profitetur. Nam ad evitanda hæc jurium pericula ipse quoque
secum acta reputare & cum consilii tenore conferre potuit, debuit.
Schurf. *Cons. 29. n. 11. prope finem.*

V.

Porro quid dicemus; si quis à superiore consulere compulsus fue-
rit,

rit, consuluit autem imperitè, an obligabitur? Ad Consiliarii officium regulariter nemo compellitur; nec magis rationis est, ut vel JCti vel Medici in Rep. munus invito obtrudatur. Honos est & honesta prœmiorum spes quæ artes alit, quæ ad salutare inde consilium aliis promendum provocat. *l. 1. C. de Assessorib.* si tamen quis semel consulendi in arte suâ functionem suscepit ejusque publicè peritiam professus fuerit, justum est, ut datam fidem liberando, casu emergente, reapse Civium & Reipub. necessitates ope consilio sublevet, ni superioris autoritate & pœnarum metu ad id compelli velit. *l. 6. C. de advoc. divers. judicior. & arg. l 5. C. de oblig. & aet.* Brunneman. ad Leg. 1. C. de Assessorib. Haud secus, ut ab initio liberum est, tabernariam non facere, cauponam non exercere. *l. 1. §. 1. D. nautæ, caupon. stabul.* Sed ubi cauponem te profiteris signo proposito, postea iter agentes repellere non possis. *l. unic. §. 6. D. Furti advers. nautas.* Nisi omnino exercitio renunciare velis. Wissenb. in *Dig. Disp. 29. n. 22.* Unde non solum Principis consiliarii, deliberatione de Reip. negotiis instituta ad sententiam quisque suam ritè aperiendam; sed & JCtorum Collegia ad consulendum in causis privatis & de jure respondendum renuente licet animo obligantur. *Gloss. in Leg. 2. Cod. de proxim. sacror. scrinior. Besold. P. 2. Conf. 64. n. 1. Vultej. 2. Respons. Marburg. 28. n. 6. & volum. 3. Resp. 35. n. 1.* Quo pertinet formula juris responsis præfigi solita: *Wan wir uns nun tragenden Ambts/ und sonst der billigkeit wegen/ dazu verbunden erachten.* Et sane non deessent, si consulere in arbitrio foret, qui in Criminalibus, Angeli & Castrensis JCtorum exemplo, quidvis agere quam pœnam sanguinis definire mallent. *Et reverâ, inquit Carpzov. in præfat. ad Jurisprud. Ecclesiast.* sibi bene consulere dicitur, qui aliis in causis criminalibus non consulit, modo ratione officii abstinere queat. Nequeunt vero JCti, quorum functio & munus exigit, ut pro salute Reip. prœmiis bonos instigando, malos coercendo vigilent. Nempe iustitiam colere, boni & æqui notitiam profiteri, conveniens juris sacerdoti officium est. *l. 1. §. 1. D. de iustit. & jure.* Haud verò rectè colit & profitetur, nisi qui id constanter agit & perpetuò *l. 10. D. cod.* quavis oblata occasione id annitendo, ut aperto iustitiæ

sacrario veritas ejus manifestetur & enitescat. Quod ideo nostri ob eandem rationem etiam ad singulos Juris & Medicinæ Doctores extendunt. Anthon. Winther. *Tract. de Assess. part. I. c. 7. n. 13.* Gail. I. *Obs. 43. imprimis n. 13. & 14.* quandoquidem has artes publicè profitendo opem consiliumque juxta illarum remedia laborantibus promittunt. Unde ultrò responsio prodit propositæ nostræ quæstioni: Consulere renuentes ad nihil sibi alienum ac invium adiguntur, sed duntaxat ad id astringuntur quod ipsorum est officii, ut ea præstent, quæ arti & professioni eorum congruunt. Nemini vero in officio suo incautè ac negligenter versari permittimus: nec ullus est casus, quo juxta artem suam operantem illius imperitia non dedebeat. Sequitur ergo, quod artifex non minùs compulsus, quām si sponte sua consulat, imperitiæ suæ præstare culpam debeat.

VI.

3
Illud tandem dubitari posset: *Si quis consilio suo expressam adiecerit protestationem, quod inde teneri nolit, an nihilominus ob imperitiam obligetur?* Et magis est, ut obligari dicamus, si artis ex quâ consulit peritiam profitetur. Protestatio enim non aliter intelligi & accipi commodè potest, quām de fortunæ lubrico cuiusvis consilii eventum ex suo arbitrio formantis. Imperitiam vero suam artificem hac præcautione salvare voluisse, honestè de eo cogitare non licet. Propriam enim turpitudinem allegasset & qualitatem professioni suæ contrariam. Protestatio verò negotii quod geritur naturæ repugnans, nihil operatur. *cap. Sollicitudinem 54. in fin. x. de appellat.* Hoc autem agi censetur, ut tanquam artifex consulat, & juxta scientiæ suæ præstantiam; Quæ utique, dum se talem in eo profitetur, ignorantia omen excludit. Porro protestatio conservat jus protestantis eâ tantum parte quâ aliquod habet. Berlich. I. *Conclus. 49. n. 69.* Facit quod Doctores nostri censem; Judicem, etiamsi in consensu suo hypothecæ creditori constitutæ hanc clausulam apponat: *salvo suo suorumque jure: Doch ihm und den seinigen unmachtheilig;* nihilominus, si bona non sufficient, creditoribus teneri ad id quod interest, ipsius negligentia interpositi consensus non esse deceptos. Quia protestatio per

per quām quis se exonerat, sed alius in captionem incidit, non valet. Barth. in *l. non solum.* 8. §. morte 6. *D. de novi oper.* nunciat. n. 19. ibi: *Quandoque per hanc protestationem.* Berlich. part. 2. *Conclus.* 30. n. 82. & 83.

VII.

De Minore quis dubitet, an imperiti consilii culpam iuat? Aut si qua obligatio nascatur, anne per restitutionem in integrum danno eum eximamus? Hunc quoque obligari dicimus, modò ejus àetatis sit, quā suæ artis non incapax habeatur. Quam in rem à JCto decem & septem annorum àetatem completam jus nostrum requirit. Hâc enim aut paulo majore Nerva Filius fertur & de jure responfitasse. *l. 1. §. 3. D. de postul.* Et fortè non profectiore fuit Celsus Adolescens, cum jura scriptis suis illustraret. *l. 91. §. 3. D. de verb. obligat.* Judicem quoque ferimus decem & octo annorum. *l. 57. D. de re judicat,* nil refragante *l. 41. D. de his qui arbitrium receper.* quæ minorem viginti annis arbitrum eligere vetat. Hoc enim ideo est, quod lex ante hanc àetatem, suscepito licet arbitrio sententiam ferre non cogit. Quo non infirmatur prioris textus argumentum: ad sustinendum publicâ autoritate Judiciis officium sufficere plenam hominis pubertatem: Etsi vi privatæ conventionis invito illud imponere ante annum àetatis vigesimum lex pariter atque Prætor inhumanum judicant. Unde nunc ex eadem ratione infertur, decem & octo annos natum, rectè consiliarii officio fungitam in Justitiæ quām alterius cujusque Consilii statione. Pax Scala de *Consil. Sapient.* lib. 1. c. 11. n. 4. Quin si aliquem illâ àetate minorem Princeps constituit, consiliarius erit. Princeps enim, qui consiliarium fecit, peritiam ejus approbando, circa àetatem dispensasse, aut tacitè illius veniam concessissimè videbitur. cit. *l. 57. & ibid. Brunnem.* Hoc itaque casu & minor Consultor semper obligabitur. Juvenilis enim imperitiæ allegationem artis professio excludit. arg. *l. 8. §. 1. D. ad Leg. Aquil.* & *l. 2. §. Servius 43. D. de Origin. Jur.* & valde iniquum & incivile est, aliquid postulare in quo desiderium à professione nostra discrepat. *l. 6. C. de munerib. patrimon.* *l. 8. §. Philosophis.* 4. *D. de vacatione munera.* In reliquis artificiis certa initiationi àetas in jure præfixa non reperitur. Ex more itaque

itaque regionis aut cujusque artis & opificii natura peculiaribusque statutis id estimandum est. De quibus si non apparet, habilis artifex habendus est, quemcunque usus & professio sua declarat. Maximè cum more opificiis recepto, hodie vix quisquam ad artis alicujus exercitium admittatur, nisi facto prius tyrocinio ac edito aliquo artis suæ specimine, quo ingenii ejus maturitas ab aliis illius artis peritis tentetur & approbetur. Ex eo itaque tempore omnes se imperito suo consilio damni reparacioni obnoxios reddere neutquam ambigitur; cessante ingenii infirmitate, quam quis in negotiis suæ artis non sine turpitudinis rubore allegaret, cùm scil. artificem se profitendo, hoc quicquid imbecillitatis est, artis & scientiæ habitu in se perfectum expolitumque esse protestetur. Ob eandem rationem etiam hac in parte in integrum restitutionis beneficium cessat. Mauritius de restit. in integr. c. 223. Vinnius lib. 1. select. jur. quest. cap. 13. circa fin. Ita Doctor Juris in iis quæ juris sunt non restituitur. Struv. Synt. Civ. Exerc. 8. §. 55. & ab eo alleg. Quintil. Mandos. de ætat. Minor. Quest. 6. similiter Mercatori in negotiis quæ ad mercaturam pertinent; Benev. Stracha de Mercat. part. 3. n. 26. & seqq. Hector Felicius de Societ. c. 5. n. 44. & pariter cuicunque alii artis peritiam professo in causis ac negotiis illius artis, si inibi captum se dicat, restitutio denegatur. Sfort. Odd. part. I. quest. 23. art. 5. n. 19. & sequent.

VIII.

Ars illa cujus in suadendo imperitiam culpæ accusavimus, quandoque in *publicum officium* incidit, alia in *scientia & professione privatâ* subsistit. Publicum suadendi officium sustinent imprimis Principum Consiliarii tam Ecclesiastici quam seculares: Itemque JCTi, ii potissimum, qui in Collegiis ad publicè de jure respondentum Principis autoritate sunt constituti: Ut sunt Facultates Juridicæ & Scabinatus in Saxonia & alibi instituti: Reliquarum quoque Facultatum in Academiis Professores pertinent, Consules & Senatores in Municipiis, eorumque Syndici: Archiatri aulici, Medici & Chirurgi militares: Item Prudentiam professi œconomicam, Quæstores & Administratores publici: Porro Fisci Procurator, Agrimensores, Calculatores, Architectonici militares,

superior

lites, quos Galli Ingenieurs appellant: Obstetrics quoque, à Magistratu publicè constitutæ; ceteri denique, quotquot publicæ utilitatis causâ à superiore in Rep. munus obeundum accepserunt.

IX.

Artes quæ citra publicum officium ope consilio privatim exercentur, aliae occurunt digniores, in Studiis liberalibus occupatae: *l. 1. pr. D. de Extraord. Cognit. Viliores* aliae, corporis magis ministerio exerceri solitæ, quas *mechanicas & in specie artificia* appellamus. Liberalium artium artifices publicâ subinde autoritate approbari, publicoque eruditionis suæ exornari testimonio videmus. Hujusmodi sunt quatuor Facultatum Doctores & Licentiati ritè promoti. Idem Notariis contingit publicè creatis. Alios usus suaque civibus professio approbat *l. 2. §. 47. de O. J.* ceu sunt ceteri caufarum Patroni, Procuratores, Medici, Medicæve; in his circulatores & Chirurgi, item Geometræ, Arithmetici, aliisque partim jam antè memorati; siquidem extra officium positi solâ se arte suâ commendant. Artium viliorum Magistros, qui præ aliis imperitè suadendo nocere possunt & solent, enarramus Navicularios, Architectos, Veterinarios seu Mulo-medicos, Sartores, Fullones, Tinctores, Statuarios, Marmorarios, Sculptores, Celatores, Gemmarum artifices, Ærarios, Fusores, Fabricarios, Carpentarios, Braxatores, Coquos, Pecorum pastores, hujusque sortis alios. Omnes hi eodem jure, quo de operis suis tenentur parùm peritè apteque præstitis, etiam consiliorum suorum, quæ juxta artis suæ professionem, acceptâ mercede, petentibus impertiunt, rationem merito reddunt. Illi vero, quorum artis præstantia publico insuper officio est honestata, duplici nomine & artis & officii ad præstandam rebus suis industriam sunt obligati, arg. *l. 8. C. de Episc. & Cler.* indeque Reip. simul ac civi læso tenentur.

X.

In æstimanda artificis peritiâ, qualis quantaque exigatur ad excludendam culpæ præstationem; cùm ut ait JCtus, in *l. 31. D. de solution.* inter artifices longa sit differentia & ingenii & naturæ & doctrinæ & institutionis, semper respiciendum est ad commu-

B

nem

nem artis peritorum modum ; ita ut qui se artificem promisit vel dixit, non utique perfectum præstare debeat, sed ad aliquem modum peritum : ut neque summæ scientiæ accipias, nec rursum indoctum esse in artificio. Sufficit ergo talem esse, quales vulgo artifices dicuntur *l. 19. §. 4. D. de adilit. edit.*

X I.

Hoc porro notare expedit, eorum, qui artem aliquam profitentur, aliquos eam profiteri ex verâ cognitione, ex vanâ affectatione alios. Illos dico, qui congruis mediis juxta receptas artis regulas eam addidicerunt. Hos vero, qui arti juxta præcepta ejus artificia-
lia, saltem ex professo, nunquam studuerunt, Titulorum artis sine arte usurpatores; Nec esse artifices, sed se venditare. Cujus-
modi larvas nullum artis scientiæque genus est, quin abunde pa-
tiatur suas: Pro Confiliariis Cubicularios, pro J Ctis Procurato-
res, pro Archiatris impostores, Cerdonem pro Theologo, Jesui-
tam pro Cancellario. Præprimis vero hic suos manes tolerat præ-
stantissima Medicina. Quis enim jam se non Medicum fingit?

*Idiota, Sacerdos,
Fudens, Monachus, Histrio, rasor, anus,
Miles, Mercator, cerdo, nutrix & arator,
Vult Medicas varius quivis habere manus.*

Utriusque generis imperiti gravem imperitiæ suæ culpam contra-
hunt, graviorem tamen illi, qui se artifices solùm fingunt: In
his enim imperitia est ordinaria & perpetua. Unde noxia ex eorum
confiliis, in iis quæ ad artem illam pertinent, per se & necessario
fluit; Qui enim causâ deficiente non deficeret effectus? In istis
qui arti ex professo operam navarunt, si qua imperitiæ labes se
prodat, magis extraordinaria & contingens videbitur, sæpe nego-
tii difficultati, sæpe ingenii infelicitati, quandoque humanæ de-
bita imbecillitati; Unde si non aliquid excusationis, saltem com-
miserationis merebitur. At qui artem pollicentur, quam nun-
quam se didicisse norunt, inscitiæ culpam non tam pati quam af-
fectare videntur. Affectata verò negligentia prope dolum est. *l. 29.
pr. D. mandat. l. 32. D. deposit.* Unde non immerito artifices hi
adulterini Impostorum nomine veniunt & graviorem aliis imperi-
tiaæ

tiæ pœnam dant ; exemplo Circumforaneorum & Empyricorum ; de quibus Constitutio Carolina in art. 134. Und in diesem fall soll allermeist achtung gegeben werden auf leichtfertige Leute / die sich der Arzney unterstehen und die mit keinem grund gelernet haben rc. Accedit : quod artifices hi præsumptuosi uno facto duplicitis delicti labem contrahant , & imperitiæ & πλυνεγγυοσύνης . Nam & hæc culpa est , immiscere se rei ad se non pertinenti l. 36. D. de Reg. Jur. Idque ideo leges vetant , ne promiscuis actibus rerum turbentur officia , & alii creditum alias subtrahat. l. 23. C. de Testam. siveque fœda nominum & rerum confusio inducatur. l. 5. C. de Legit. Tutor. In illico itaque versantur quicunque falcam mittunt in alienam messem ; quam si ineptis insuper & imperitis manibus contrectant , hoc scelus est contaminando explere. Fortè quis objiciat : habere eos quod sibi imputent , qui commentitios artifices consuluerunt , quare non genuinos adierint. Nemo ignarus censetur esse conditionis ejus cum quo contrahit l. 19. D. de R. J. damnum , quod quis sua culpa sentit , sentire non videtur. l. 203. D. eod. nec quisquam fraudare videtur eos , qui sciunt & consentiunt. l. 145. D. eod. sed in promptu responsio est : Quisquis artem publicè profitetur , præsumptionem pro se habet , quod eam rectè calleat. Justa itaque & probabilis ignorantia est fucum non ominantis , cum homini artis ignaro non utique in manu sit , alterius scientiæ ingenii facultates excutere.

CONSIDERATIO II.

*Ratione diversi subjecti
CONCRETA.*

§. I.

Pro diversa eorum conditione , qui artem consulendi profitentur , modus quoque obligandi subinde variat , culpæque gradus , & ipsum actionis instituendæ genus. Quæ res necessitatem nobis imponit , artificum consultorum ordines antè recensitos , nonnihil specialius perlustrandi. Et quidem ut ab illis , quæ ad Reip. administrationem pertinent , ordiamur ; In his curandis Re-

gum ac Principum Consiliarii occupantur, quos Symmachus alibi instrumenta boni seculi appellabat. Difficile dictu, quatenus illi de Consiliorum suorum imperitia teneantur. Darii sanè vox est apud Curtium lib. 3. Neminem stolidum consilium capite luere debere: defuturos eos, qui suaderent, si suassisse periculum foret. Verum hæc de pœnæ excessu sunt intelligenda, & simul eo casu quo nihil adhuc damni Reip. ex stolido consilio obvenit: quia non receptum, aut prudentioribus aliorum votis mature rejectum est. Unde primùm itaque hoc constat, non ideo quem stolidum luerre consilium debere, quia stolidum est, nisi & nocuerit; sævumque ab omni ævo & ipsi perniciosum imperanti habitum est, Consiliarios liberi oris suadendique quæ sentirent usurpata potestate, gratiæ aut existimationis suæ aliquod apud Principem discrimen adire. Est etiam, quod dicitur, non eventum sed fidem præstare debere, qui consilium dant: cùm haud raro optimè consulta omni ope potentior fortuna discutiat; & laudanda potius sint consilia cauta cum ratione, etiamsi non succedunt, quæm fausta eventu quidem sed temeraria & ratione destituta. Keckerman, in Polit. p. 103. Oppido tamen & illud patet, superiori tractatione firmatum, etiam Principum Consiliarios, si quid suaserint imperitia crassa eorum, quæ ad functionem ipsorum pertinent, quæque Consiliarium scire convenit, meritò, emergente damno, eo nomine teneri. Non enim suscipiendum est officium, cui te imparem scias, aut saltem scire debeas:

Certo te modulo & tua metire probando;

Nec scande locos è quibus sit inde ruendum.

Imprimis verò hoc valet in iis, qui consiliarii munus non tam oblatum recipiunt, quæm ultro affectatum invadunt & quandoque magna vix dum ambitione extundunt, quod arguit JCtus in Leg. 8. §. 1. D. ad Leg. Aquil. Non debere quem affectare id in quo intelligit aut intelligere debet, infirmitatem & ignorantiam suam alteri periculosam futuram. Nec est quod totam hujus incommodi culpam in Principem rejiciamus, cur non Consilii indolem apud se exploraverit cunctisque suorum votis probatis optimum elegerit, arg. §. 6. I, mand. Hæc enim ratio solùm in amicorum consiliis stringit,

Stringit, qui nullâ officii necessitudine ad consulendum ducuntur, nec singularem prudentiam deliberativam amico sunt polliciti. Imperii vero major moles est, ac quam unus digna ubique æstimatione versare possit. Ideo Princeps duces & Consultores aliorum oculos tanquam partem sui corporis *l. 5. C. ad Leg. Jul. maj.* in administratione adoptat, quo plurium prudentia exactius sapiat. Quin nec ætas nec ingenium semper Principi eam rerum a-gendarum experientiam præstat, quâ cujusque consilii qualitatem interius perspicere & ad vivum resecare possit. Quod de singulis dixi, eodem rationis fundamento & de integro artificum consilia-riorum collegio est censendum, ut ob consilii sui imperitiam rectè conveniatur. Nam si integrum Assessorum Collegium justa de causâ removeri ut suspectum potest, ceu belle ostendit Græveus *1. Consil. 33. n. 15. & seq.* & ex eo Besold. *Delibator. Jur. ex lib. 5. D. quæst. 14. circ. fin.* causæ nil video, cur non item imprudentiæ ac desidiæ suæ culpam sarcire teneatur. Quin arguendi eo major ratio subest, quò est turpius, collustrantibus plurium oculis, arte tamen & ingenio destitui, aut negligentiæ convinci. *arg. l. 8. circ. fin. C. de Episc. & Cleric.*

II.

Solent vero Principes pro varietate negotiorum, ad quæ se pu-blici regiminis cura extendit, plures habere diversæ functionis con-siliarios, tam Ecclesiasticos quam Politicos; Rursus horum alii con-silium *Status seu Intimum*, alii *Justitiae*, quidam *militare* con-sti-tuunt. Sunt qui *ararium & redditus politicos*, qui res *forestales, com-merciorum, nauticas* curant, iisque consulunt. Hæc eo pertinent, ut sciamus: nemini eorum consilii sūi imperitiam imputari, ultra negotia suæ stationis. Ita qui curam reddituum cameralium, aut publica promovendi commercia in se suscepit, à Principe fortè su-per juris negotio consultus, si imperite de eo respondet, damni dati non tenetur. Distinctæ enim functiones sunt, diversis disci-plinarum objectis ab invicem discretæ, quorum unum quis profi-tendo alterius simul peritiam polliceri non videtur. Non omnia possumus omnes, & Divinitatis potius quàm humanitatis est, o-mnium notitiam habere, nulla in re deficere. Unde nec causæ

quicquam video, cur Principis sui indignationem incurrere debet Consiliarius Jctus in Dicasterium aulicum juri dicundo ascitus, si rationem status, super qua consulebatur, consilio suo male tetigerit, instruxerit. Est quidem prudentia Judiciaria Gubernatrici illi in publici status regimine occupatae multum finita, sed tamen non cum illâ eadem, intercedente integrâ publicâ privatâque utilitatis in proposito agendi fine differentia. Ut sane reipsa deprehenditur, ex solo Jurisprudentiae habitu, ea quæ publici regiminis felicitatem concernunt, haudquam benè expediri. Struv. *Synt. Civil. Exerc.* I. §. II. Solenne est quibusdam Imperantibus, suos cubiculares & domesticos, aliis suos confessarios & præcones aulicos, qui consiliarii non sunt, ad secretiora consilia admittere: Suo periculo id faciunt. Præterquam enim quod rara in illis est prudentia, consilium, taciturnitas, etiam nullâ artis aut officii sui necessitudine ad benè scitèque suadendum obligantur. Hic ergo est, quod Princeps sibi imputet, si quid Resp. detrimenti inde ceperit, quare non artifices publici status peritos consuluerit. Conf. Besold. *Polit.* c. 3. n. 41. & Lips. 3. *Polit.* 6.

III.

Huc pertinet ut expendamus: An & Consiliarii Titulares ex consilio suo teneatur, si quod fortè Princeps extra ordinem ab iis experierit? Quod non puto: quia se ad consulendi artem vel industriam non obstrinxerunt, nec functione suâ, quam nullam habent, rei politicæ prudentiam profitentur. Consiliarii Titulum gerunt sine re, honoris solum causâ & eo duntaxat fine ut per illum exteriora insignia & certum inter cives suos locum consequantur. vid. Dn. Pufend. *de jure nat. & gent.* lib. I. c. I. §. 8. Finis v. determinat opus nec fas est actum extendere ultra intentionem agentis. In consulendo itaque Titulares Consiliarii extraneorum loco habentur. Quod ulterius illustrat nomen oppositum *Consiliariorum verorum*, quo se appellant, würtzliche Râhte. Dè quo Freinsheim. *Diatrib.* I. & Strauch, *in amoen. Jurid. Canon.* I. cap. 14. pag. 62. *Quamdiu Consiliarii solum appellabantur, qui actu & opere tales, simplex hac nominatio satis erat, ad officium & dignitatem istam exprimendas. Ex quo verò hodie & titulares consiliarii nati sunt, addenda fuit consiliariis*

liariis veris & in actū positis nota eius würcklichen Rahts. Species quoque Consiliiorum titularium sunt Consiliarii, quos vulgo vocant: Rhāte von hauß auß / alias honorarii & quandoque silentiarii dicti, domi suæ residentes nec functionem in aulâ realem habentes. A quibus & ipsis nulla peritiæ in consulendo ratio reposci potest. Non enim verè sunt consiliarii, nec solius tituli honos muneric dignè exercendi obligationem illis induit. Frideric. Muller. in *Practic. Rer. Forens. Resolut.* 4. num. 15. & *ibid. alleg.* Cujus præjudicium ex Ruland. de *Commiss.* part. 1. lib. 5. c. 6. in fin. fol. 274. refert Wehner. *Practicar. obs. Lit. V.* Cum aliquando quis objecisset, se esse Archiducis Austriaci Consiliarium von hauß auß quæsitum fuisse: An bestellte Diener von hauß auß essent Aulici, Hoffdiener? Et judicatum fuisse, non esse: per Alberic. in l. 2. *C. de Senator.* in causâ Hans Jacob von Landaw rc. Unde nec Jurisjurandi religione adstringi solere, suâ fide notat Dietherr. in *Additam. Practic. ad Speidelii specul. voc. von hauß auß;* & ordinariæ loci, ubi habitant, jurisdictioni subesse, Leipold. *de Concurs. Jurisdict. Quest.* 10. circ. fin. & Mev. *ad jus Lubec. lib. 1. tit. 2. art. 2. n. 39.*

IV.

Quærat quis: Si Consiliarius per animi mollitiem, dum Principiis ingenio & propensioni se accommodat, consilium dederit Reip. perniciosum, an teneatur? Affirmare hoc non dubitabit, quisquis reputaverit, Consiliarios à Principe in consilium adhiberi ad id suadendum quod fidei justitiæque eorum convenit, & publica poscit utilitas. In hoc se juramento obstrinxerunt, curaturos, non quod Principi arridet sed quod ei expedit. Et sanè si dolo, culpâ certè non vacat illud nimium placendi studium, illa illiberalis animi commoditas & exilitas, nunquam non captandi Principiis sui votum & animum, etiam cum salus publica ei jubet refragari. Culpam verò in consulendo tam omissionis quam commissionis, maximè tam crassam, præstare eum, qui inibi industriad profitetur, eamque singularem insuper pollicitus juramento est, ex supradictis quis ambigit? arg. l. 2. D. quod quisque jur. in al. & simil. texe. Quam ob rem malè audiunt Consiliarii Cambysis, interrogati ab eo: an quædam lex finat volenti matrimonium cum sorore inire, respon-

responderunt: *Nullam quidem se invenire legem, que fratri permittat ducere sororem, eam vero se reperire legem: licere Persarum Regis quodlibet.* Herodot. lib. 3. Tales etiam hodie plurimos reperi, qui à Principibus consulti magis Placentiam versus quam Veronam iter dirigant, summam arbitrati rationem: *Placebo Domino meo, juxta illud Harpagi: Mibi placet quicquid rex facit:* ex Mathæ. de Af- flict. Decis. 321. in fin. & aliis memorat Reinking. de Regimin. se- cul. & Ecclesiast. lib. 1. c. 4. n. 26. Addito: *Hos potius loqui cum for- tuna quam pro salute Principis,* ex Tacit. lib. 17. annal. Et se aliquando quendam audivisse dicentem: *Consiliarium agere esse divi- nare quid Princeps velit, ad imitationem forte Coquorum:* Juxta illud Martialis:

Coquus Domini debet habere gulam.

V.

Porro quærere liceat: *An obligetur Consiliarius, qui in re magni momenti ob imperitiam aut alia quavis de causa consilium subterfugit, si Resp. inde detrimentum ceperit?* Non yana hæc est quæstio nec praxi infrequentior. Haud raro videoas, qui instar pigrorum mili- tum in re gravi & ancipiti consultantium confessum declinare, quam se consulti periculo exponere satius ducunt: Sunt qui in re turbulentia Principis offensam, optimatum invidiam veriti, me- lius arbitrantur, cum securè non possis, quounque obtentu id agere potius ne consulere necesse sit; in magnâ parte prudentiæ politicæ reputantes, aulæ præcipitia nec scandendo superare. Non posse quem in ordinario consiliarii munere constitutum bonâ fide & illæsâ conscientia Reip. necessitatibus se subducere, satis inde claret: quod consiliarius in rebus ad officium suum pertinentibus de culpa omissionis non minus quam commissionis tenetur. arg. l. 8. pr. & l. 27. §. 9. D. ad Leg. Aquil. Haud dubie vero officii ejus ratio postulat, ut publicam rem in occurrentibus ejus necessitatibus quovis modo adjuvet; nec odii nec invidiæ sortem detrectan- do. Huc enim conscientiam suam, quæ omnia mundana terricula contemnit, vel ipsius jurisjurandi vinculo adstringit, vi clausulæ quæ communiter inseri solet: *Dass Er unsfern frommen schaffen und fürderen / unsernen schaden wenden und warnen wolle.* De hoc

in

in limine sui officii Reip. ejusque Rectori fidem dedit: omnibus modis pro virili pro incolumitate eorum se esse excubaturum. Num verò quis per imperitiam malè an ob eam planè non consulat, Reip. perinde est, si utrinque inde damnum passura sit. Atque ideo Consiliarius, si culpâ vult vacare, in Senatum venire debet, etsi consilium aliquod tractatum iri sciat, cui bonâ conscientiâ non possit subscribere: non assentandi utique gratiâ; sed ut collatis rationibus in sequiora abeuntes, quantum potest, Reip. in gratiam reducat, quæ tunc maximè opem ac consilium ejus implorare videtur, cùm in consultationis incude sub malevolorum ictibus gemit. Quin & hoc insuper dicimus: *Consiliarium, si rerum suarum satagere velit, etiam non requisitum ad monendum & consulendum ultro procedere debere.* Multa enim in rerum negotiis prostant, quæ Principem fugiunt, necessario tamen expedienda. Est quidem, quod dicitur, ad consilium non accedas, nisi rogatus. Principum tamen Consiliarii hoc ipso, quod in monendi suadendique officio velut statione collocati sunt, eo fine, ut in omnibus causis omnique tempore & loco, quando necessitas & salus publica exigit, ipsi quid justum, salutare & Reip. utile videatur, ostendant & suadeant, satis superque rogati censemur, adeo ut ulteriori & speciali interpellatione haud sit opus. Parùm itaque consultum est, semper expectare, donec ipse Princeps de rebus arduis ad Remp. pertinentibus sermonem injiciat. Et inde Senatoribus Romanis quandoque licuit postulare, ut extra ordinem de Rep. ad senatum referretur. Quis enim incendio non succurreret, etiam non rogatus, quo aquâ potius quam ruinâ extinguitur?

VI.

Hoc etiam aliquis sciscitet: *An Consiliarius Consilii extemporanei noxiā præstet?* Si causa fuerit valde gravis & abstrusa, nec res aut Princeps præmeditandi spatium permiserint, præcipitantiæ ignoscendum est, festinationique potius, quām imperitiæ imputandum, hoc quicquid consilium sequioris rei continet. Si enim J Cetus extempore de jure respondere non cogitur, quid Consiliario vitio demus in arduis Reip. negotiis non omnes rei circumstantias aut futuros eventus uno statim obtutu sibi repræsentanti? ut sanè plena peri-

C

na periculi res est , de rebus quandoque non satis cognitis ex tempore judicare. Tacit. lib. 3. annal. Keckerm. lib. 1. Synt. Polit. cap. 6. Sin negotium non est tale, quod altiorem indaginem requirit , nulla ratio poscit , ut consilium extemporaneum patiamur esse stolidum. Hic consultatoriæ , quam profiteris , prudentiæ habitus est, operandi cum facilitate. Deinde etiam , cùm nulla causa fuit præcipitandi consilii , spontanea consiliarii illius præcipitantia , an potius inquirendi desidia , qui , cum res deliberandas præmeditari posset , non fecit , adeo eum culpæ non eximit , ut ipsa potius in gravis culpæ incidat vitium. l. 3. §. 18. D. de suff. tutor. Unde & is damnum culpâ dedito existimandus , qui per inertiam Collegæ voto adstipulatur , antequam expendit. Idem est , si autoritate ejus motus aut complacendi studio fecit. Et imprimis indecens est eorum desidia , qui in rebus justitiæ non lecto alterius consilio subscribunt. l. ult. & ibid. Bald. C. Plus valere quod agitur. Sunt & qui è senatu absentes in causis sæpe arduis , nefandum dictu ! per apparitorem renunciant : Se votis plurimorum accedere. Quasi non hoc cœco animi ductu sæpe iniquo subscriberent dum æquo se annuere credunt. dict. leg. ult. & l. 10. C. de donat. Felin. in cap. Venerabilis. col. 14. de except. Jctus , eo quod juris scripti tenorem pandit , de jure testari dicitur. l. 2. §. 47. D. de Orig. Jur. indeque à Glossa ibid. Juris Testis cluet. Egregium verò testimonium , quod quis ex alienis oculis , aliena opinione perhibet ! Si Reip. inde damnum emergit , aut justitiæ causa læditur , nihil justius est , quām ut Autorem ejus falsi reum agant , certe officii non ex fide gesti graviter accusent.

VII.

Culpæ tres gradus esse , pro quarum diversitate in latam , levem & levissimam distinguatur , vulgo notum est. Refert itaque generatim consideremus , qualem Consiliarius culpam in consulendo præstet. Levissimam dixeris , quia artis , quam quis pollicetur , peritiam ac diligentiam exactissimam promisisse videtur. l. 25. §. 7. D. loc. cond. l. 9. §. pen. l. 13. §. 5. eod. Frantz. isto titul. num. 204. Struv. Synt. Civil. Exerc. 24. thes. 20. Brunnem. in Dig. ad dict. l. 25. n. 22. Alioqui affectandum non erat , in quo quis sciret , aut faltem

Saltem scire deberet, ingenii sui infirmitatem aliis damno futuram.
I. 8. §. 1. D. ad Leg. Aquil. & ibi Brunneman. Verius tamen est,
 Consiliarium ad peritiam non nisi justam & levis culpæ præstatio-
 nem obstringi. Nam I. Consiliarius artem consulendi propriè ita di-
 ctam nullam profitetur; sed munus publicum sustinet; quod &
 invito imponi potest; exemplo tutorum & curatorum, qui ideo
 ultra culpam levem non onerantur. *I. 1. pr. D. de tut. & rat.* Leges
 & autores oppositi de artificio loquuntur privato eoque præcipuè
 mercenario, quod artifex mercedis quærendæ causâ, spe & voto lu-
 crandi ambitiosè ut plurimum profitetur, eoque se alienis negotiis
 quodammodo offert. *conf. Brunnem. loc. cit.* urget 2. ratio: quod
 Consiliarii munus non sui solum sed utriusque & imprimis etiam
 consulentis, Principis puta & Reip. gratia suscipitur: quo casu jura
 nostra non quicquam exigunt ultra diligentiam mediocrem, qua-
 lem vir prudens & circumspectus suis rebus adhiberet *I. 5. §. 2. D.*
commod. Et sanè 3. durum foret, maleque cum Consiliariis agere-
 tur, si in arduo & gravi illo reip: dirigendæ negotio, dum mille,
 hinc difficultates asiliunt, inde anticipitis utilitatis species sollici-
 tant, nihil quicquam neglectum ac declinatum culpæ dispendio
 esset vacuum. Et quid de Assessoribus fieret Judiciariis, causas
 controversas suo juris consilio dijudicantibus, si in tam difficili ju-
 ris scientiâ, in tantâ opinionum varietate, tantaque causarum mul-
 titudine ipsi singularum periculo tenerentur obnoxii; ubique
 iis per imprudentiam aut oscitantiam aliquid excidisset. Quod
 merito Romani Legislatores secum rati, Judicem per impruden-
 tiā ac negligentiam malè judicantem non ex vero sed quasi deli-
 eto teneri satis putarunt. *§. init. I. de oblig. ex quasi delict.*

VIII.

Restat videamus, ad quid Consiliarius ex imperito consilio suo,
 & quâ actione teneatur. Præprimis ad damni reparationem lœso
 obligatur, cum Principiū privatis. Quisquis enim damni occa-
 sionem culpa sua dedit, ipsum damnum dedisse censetur, *I. 30. §.*
3. ad Leg. aquil. Principem & Remp. præcipuè afficiunt consilia
 eorum, qui circa gubernationem status publici occupantur: Rem
 v. privatam consultationes Assessorum seu Consiliariorum justitiæ,

ut vocantur *l. 5. D. de offic. assēß. & l. 3. C. eod.* qui in judiciis jus
suggerendo ambigua fata causarum dirimunt. Quanquam, cum
Resp. reapse nihil sit aliud quām singulorum collectio, tam arcta
inter utrosque connexio ac mutuae afflictionis compassus interce-
dat, ut pravi consilii, quod remp. læsit, subinde sensus & incom-
modum in singulos quoque cives redundet; & viceversa: quod
singulis nocet, oblique etiam per eorum latus vulneret Remp.
Quod in pacis bellique negotiis nimium quantum res ipsa com-
probat, succinente Flacco:

Quicquid delirant Reges plectuntur Achivi.

Illud hic expediendum: *An Consiliarius ex consilio malo & imperi-
to, quod Principi aut universitati dedit, etiam Tertio læso teneatur,
in quem forte consilii noxia redundat?* Videri posset negandum: (1.)
quia consiliarius cum tertio illo nullum negotium gesit, unde ob-
ligatio nasceretur. *pr. I. de actionib.* nec ipsi Consiliarii consilium,
sed Principis factum, quod hic non necessariò ex consilii præ-
scripto instituit *§. 6. I. mand.* damnum intulit. Deinde (2.) Con-
siliarius ratione sui officii illi Tertio minimè est additus, nec huic
se, sed Principi ad consulendi artem obstrinxit. Accedit (3.) quod
à Principe aut Universitate, qui propriè suo facto damnum de-
disse intelliguntur, ejus reparatio, institutâ actione, obtineri po-
test. Cur eorum loco potius consultorem aggrediare? Verùm hæc
tanti non sunt, ut consiliarium liberent. Ad vibrandam in eum
actionem satis est, quod imperito suo contra prudentiæ regulas
consilio mihi damnum conciliavit. *l. 30. §. 3. D. ad Leg. Aquil.* Hoc
ejus culpâ injuriæ contigit. *§. ult. I. eod.* etsi incommodum proxi-
mè consulenti factò & executione mihi obvenit; Et evincit *l. 2.*
D. Quod quisque juris. Hic enim, licet iniquum jus ipse Magistra-
tus constituit, assessor tamen læso tenetur, quia ejus imprudentiâ
est constitutum. Imo non desunt casus, in quibus consulens ob-
justam artis illius, ad quam ea res pertinet, ignorantiam, ipse
planè non tenetur. Ubi tunc, si nec Consultorem convenire lice-
ret, læsum omne prorsus se indemnem præstandi auxilium desti-
tueret. Ita si Magistratus in causa criminali aliaque ingenio & pru-
dentiâ sua sublimiori consilium à Collegio sapientum requisierit,
& juxta

& juxta illud bonâ fide processerit, etsi, reo postmodum absolu-
to, excessus incarcerationis, inquisitionis aut torturæ arguatur;
tamen nec ipse Judex nec delator eo nomine conveniri potest. arg.
Const. Crim. Carol. art. ult. Carpzov. Pract. Crim. part. 3. quæst. 127.
n. 28. & 31. Hartm. Pistor. obs. 149. tot. Parùm obest, quod Con-
siliarius nullum cum læso negotium gessisse videatur. Hoc enim
gessit, quo ipsi nocuit. Unde nec ad rem pertinet, quod is suum
consulendi munus solùm Principi addixit; Nam hoc casu non
quasi ex contractu, aut malè præstito consulendi munere conve-
nit, sed ob damnum datum, quod per malum consilium con-
tigit, & toties culpæ annumeratur ac in delicti speciem incidit,
quoties Consultor ratione officii artisve, quam pollicetur, ad pe-
ritè prudenterque consulendum obligatur. Nec illud in jure no-
vum est, quod ejusdem rei nomine & qui suasit & qui fecit ad
damni reparationem ipsamque subinde delicti pœnam teneantur.
Quamvis, quod damni persecutionem attinet, alterius præstatio-
ne alter liberetur. Actio rei persecutoria in malos consultores, etsi
Legis Aquiliae non quadrat, quia corpore nullum damnum dede-
runt, *subsidiaria tamen in factum competit.* arg. §. fin. I. ad Leg. *A-*
quil. l. 33. §. 1. D. eod. Et si Assessoris prudentia jus aliter dictum
est; quam oportuit, in edictum incidit: Quod quisque juris in
alium &c. l. 2. D. eo tit. Struv. *Tract. de Vindict. privat. cap. II.*
aphor. 7. n. 4. Frantz. in Pandect. Tit. de offic. assess. n. 5. & eo no-
mine actione in factum præatoria convenitur.

IX.

Porro quandoque justum nec exemplo existit inauditum, pra-
vum consultorem imperitiæ ac negligentiarum in consulendo suæ pœ-
nam dare, sicuti ex summa imprudentia & ignorantia eorum,
quæ consiliarium omnino scire convenit, quæque alias facilè no-
visset, peccaverit. In delicti enim speciem incidit officium susci-
pere & magis affectare, cui te cum aliorum dispendio imparem
futurum deprehendas. Idque imprimis locum sibi vindicat in ma-
gnis negotiis, R eip. salutem aut dignitatem concernentibus: ubi
haud raro sub uno pravi consilii ictu tota imperii moles tremit &
periclitatur. Si enim homicidia aliaque delicta, culposa variis in

3

jure pœnis coërcemus, ob notabile damnum, quod Resp. inde capi, quò imposterum diligentius præcaveantur. vid. *Ordin. Crimin. art. 146. l. 9. l. 11. D. de incend. ruin. l. 3. §. 1. D. de off. præfct. vigil. l. 2. in fin. D. de term. mot.* & Mathæ. *de Crim. in Prolegom. c. 1. n. 2.* cedo causam, cur in rei summâ imperitè ac improvidè consiliis suis versantem ferre impunem debeamus? Unde non semper fit immeritò, quod noxii consultores in aulis Principis gratia, sæpe & officiis suis excidunt: dummodo reputemus, ubique imperitum consilium non eventu, sed insolitâ animi destinatione & ineptis mediis æstimandum; cùm sæpe & optimæ cogitationes pessimè cadant, & è contrario in consiliis temerariis bonæ rationis & deliberationis defectum haud raro fortuna benignitate suâ compenset. Quæ cùm ita sint, nunquam sanctus Princeps animo suo quantumvis justo dolore exulcerato permitteret, consiliarium illico officio privare aut aliud quid in eum gravius statuere, quam institutâ prius causæ cognitione: culpæ ne Consultoris, an fortunæ infelix ille consilii exitus debeatur. Alioquin subinde, haud absque conscientiæ suæ læsione, pœna afficiet innocentem. Et licet ex quorundam sententia, (quam tamen intuitu justitiæ in Rep. distributivæ non ita crudè probo,) quilibet magistratus officiales suos pro libitu revocare & deponere possit, dummodo eos revocet simpliciter; secus tamen est, si eos removeat ex causâ delicti. Nam de illâ causâ, præsertim infamante, ex certâ & evidenti probatione ante omnia constare debet. Sande *Decis. Frisic. hb. 5. tit. 10. def. 2. Boér. Decis. 149. n. 10. & seq. Bodin. hb. 4. de Rep. cap. 4. n. 440.* quia talis destitutio hominis existimationem apud probos & graves viros onerat, saltem præsumptivè. *l. 51. in fin. & ibi Gloss. D. de manumiss. testam.* Honor vero pretiosissimus & divitum & pauperum cultus, quem si Princeps, crassæ imperitiæ alteriusve delicti obtenuit officiale deponendo, auferre posset, plus ipsi auferret, quam contulit. Sande loc. cit. *Carpz. part. 2. Decis. 183. n. 8. & 9.*

X I.

Quid verò: *Cui probatio incumbet, rep. infausto consilii exitu affictâ, num culpâ & imprudentiâ Consiliarii an iniquâ sorte evenisse præsumetur: Illene industriam an Princeps culpam probare debebit?*

Posterius

Posterius censeo : Quia consilii eventus, maximè qui ex hominum voluntate aut aliis causis contingentibus dependet, natura suâ an-
ceps est & lubricus. Quô fit ut ex infelici ejus successu non nasca-
tur justa præsumptio omissæ à Consiliario debitæ diligentia, non
defectus artis aut ingenii. E contrario i. pro artifice in iis, quæ ad
professionem ejus spectant, merito in jure est præsumptio. arg.
l. 65. §. 3. D. de leg. 3. Menoch. de præf. lib. 1. quæst. 14. n. 27. Joh.
Philip. us. pract. Inst. lib. 1. eclog. 23. n. 3. & alleg. 2. Diligentiam
& industriam in negotio, quod quis suscipit, debitam adhibuisse
censetur : culpa cum sit delicti species non præsumitur. Mascard.
de probat. conclus. 467. n. 1. & 2. Menoch. lib. 5. præf. 3. num. 124.
Quod tamen declaro : nisi consilium suâ natura culpam contineat.
Incendium inhabitantium, furtum possessoris culpâ accidisse jura
nostra præsumunt. l. 3. §. 1. D. de offic. præf. vigil. l. 52. §. 3. D. pro
soc. l. 14. de pericul. & commod. rei vendit. Quidni similiter de jure
consultus, si legibus aut facti circumstantiis parùm congruè re-
spondit, ipso opere imperitiæ vel negligentia in consulendo suæ
indictum prodat ? arg. §. init. I. de offic. judic. nisi in promptu ha-
beat allegationem justi fortè erroris, alteriusve similis causæ quâ
imprudentia istanc labem à se amoliatur. Ulterius declaro : sem-
per culpam præsumi in consultore, artis scientiæque illius, quam
profitetur, prorsus ignaro. l. culpa 36. & arg. l. 132. D. de Reg. Jur.
Menoch. lib. 5. præf. 23. n. 134. In re enim illicitâ versatur, quod
nunquam culpæ suspicione vacat. Menoch. loc. modò cit. num. 131.
Imo, cum causæ illius deliberatio ad eam artem pertineat, ex cu-
jus principiis & consilium provenit, quì aliter fieri potest, artis
illius notitiâ velut causa deficiente, ut non necessario prudentis
consilii deficiat proventus.

XI.

Pœna & pœnalis actio consultorio huic malo in legibus certa
statuta non est. Arbitraria tamen animadversio pro culpæ modo
& damni inde emergentis gravitate locum habebit: suspensionis
puta vel remotionis ab officio, mulctæ, exilio &c. Neuenhahn.
Discurs. de jure Consiliar. n. 207. ex Innocentio in c. növerit. n. de sen-
tent. excommunic. & Panormitan. in c. adversus 29. & seq. x. de im-
munit.

munit. Eccles. Cui tamen in eo adstipulari non possum; quod oblatam culpam remotum æque ac ob dolum famosum fieri contendit. Dolus enim & lata culpa in causa irrogandæ infamiae haud sanè æquiparantur. §. 6. l. de suspect. Tutor. & l. 3. §. ult. D. eod. Bonna hominis existimatio non nisi turpi facto consumitur, quale non est, quod citra malam fidem ex desidia aut imperitia provenit. Nam & in Virum bonum & honestum cadere potest. Etiam bonus quandoque dormitat Homerus. Nec contrarium arguit l. 11. §. 4. D. de his qui notant. infam. quæ delicto ex juris ignorantia profecto infamiae poenam irrogare videtur. Agit n. illa de ignorantia juris naturæ, qualis est mulierem ducentis inter annum luctus, paulò post mariti obitum, propter turbationem sanguinis. dict. l. 11. pr. eoque merito præsumitur affectata. l. 38. §. 4. D. ad Leg. Jul. de adult. Quid tandem: an ob levem quoque culpam Consiliarius suspendi aut removeri officio potest? Neutrum admittimus; arg. l. 7. §. 1. D. de suspect. tutor. nec aliam quam poenam propterea ipsi infligi. arg. l. 2. & ibi Doctores. D. Quod quisque juris: sed sufficiet, si damnum imprudentiæ aut negligentiæ datum resarciat. In negotio enim Civili & quod non natura sua delictum est, ob levem culpam poenam inferri, nullo juris argumento, nullo exemplo ostendi potest. Et nescio an vel ex re Principis futurum sit, ut is Consiliarii sui levem quemvis ingenii aut sedulitatis lapsum vindicet.

Monendi enim quicquid videbitur in eo promptitudinem infringet, pro cauto timidum habiturus.

TANTUM HAC VICE.

COROLLARIA.

1. **F**ides data etiam hosti est servanda.
2. **D**ucens aliquam pro virgine, quæ virgo non erat, si ipse quoque florem Virginitatis delibasse convincatur, an ad separationem agens, dolii compensatione repellere possit? Videtur neg.
3. **P**œna suspendii in furos neq; injusta nec delicto gravior est.
4. **A**ctio-

4. Actionem Paulianam non in personam sed in rem esse tenemus.
5. Virginis invitae osculum figens an injuriarum teneatur? Rq. Si neges affirmabo, negabo si affirmes.
6. Cervus hominem impetens contra superioris prohibitionem impune occidi potest. l. unic. C. de venat. fer.
7. An concessa potestate venandi feras majores puta cervos apres &c. etiam facultas videatur tributa capiendi minores? neg.
8. Bestia ita graviter vulnerata ut aufugere non possit, quamvis corpore nondum occupata, mea est, nec ab altero interveniente mihi præripi potest.
9. Peccanti contra regulas venatorias ac ob id plagas ferenti (die Pritsch) an actio injuriarum competit? Si se venatorum consortio immiscuerit neg. secus non immerito affirmo.
10. An crimen læsa Majestatis committatur in Augustam? neg.
11. Bello publice indicto non solum militibus, sed & civibus hostem obtruncare licet, imo convenit.
12. An unio prolium die Einkindschafft subsistat nullis liberis ex posteriori matrimonio genitis? affirm.
13. Res mobiles ab hoste captas sed à milite nostro recuperatas, ipse dominus restituere non tenetur.
14. Judeus Medicinae Doctor creari nequit.
15. Monstrum, quod contra formam hominis converso more genitum est, non humanam sed alterius animalis præferens figuram impune occidi potest. arg. l. 14. ff. de stat. homin.

MOribus, ingenio jam pridem nosceris amplio.
 Nunc & Consilii prodit & artis opus.
 Gratulor! eximias Virtus Tibi splendida laudes,
 STOCKELMANNE canit, gratia nulla canit.
 Sic pergas! quondam sic Res sibi Publica gratam
 Experietur opem consiliumque tuum!

Nobilissimo & Ornatussimo Domino Autori,
 amico suo eximio, debitum hoc virtuti en-
 comium, si modo dignum
 mm̄ posuit

P R A E S E S.

Consilium ^a Jovis ^b uxorem sibi duxerat olim,
 Quam primum imprægnans, dein avido ore vorat.
 Sic uxor simul & venter ^c Jovis abditur alvo,
 Fitque uxor, mater, qui pater atque vir est.
 Mensibus exactis parit optima Jupiter. & quid?
 Filiam. & hanc dia Pallada voce vocat.
 Miramur peperisse virum? mage mira supersunt:
 Ex capite hanc peperit (namque utero parere
 Pervulgata nimis res est) sed & ^d undique cinctam
 Armis, ut nobis fabula narrat anus.
 Quæ tibi STOCKELMANNE animo heic sententia surgit?
 Consilio hæc apta est res bene nata tuo.
 Nam de Consilio qui tanta differis arte,
 Scis bene quo cusa hæc fabula ^e Consilio est.
 Per Jovem enim Reges Majestatesque notantur,
 Queis individuus consiliator adest.
 Sed nec consilium bene consiliarie solus
 Concipis, à nutu Principis omne feres.
 Tum bene consilium conceptum, Principis omne
 Reddetur gremio sincipitique gravi.
 Hinc in subjectos prodibit, quo sacra possit
 Majestas populis incolumi esse loco.
 Sed ne refragetur quis forsan consilio, vim
 Armaque Rex dotis nomine rite dabit.
 Ast te his non teneo prudentem. Principis aula
 Te jubeat praxi hæc edere cuncta. Vale.

- [a. Uxor hæc Jovis appellata fuit Metis at Metis Græce Consilium est. Meminit Hesiod. in
Theogon.
 b. Iovis heic diximus, exigente ita tumultuario metro, pro Jupiter. Sed &c veterum stu-
 dioso lectori iste nominativus latere non potest. vid. Gellius 5. Noct. Attic. cap. 2,
 & cap. 12. Pincier. lib. 3. parerg. cap. 16.
 c. Venter pro eo qui in ventre est, ut in l. 84. ff. de acquir. hered.
 d. Obstetricante quippe Vulcano.
 e. Aliter hanc fabulam explicat Jac. Masenius part. 1. pal. ligata lib. 1. cap. 24. §. 8.
 Add. Franciscus Baco Comes de Verulam. discurs. polit. moral. c. 30]

Quod tibi, Nobilissime atque Pereximie DN. STOCKEL-
 MANNE, toto corde appreccatur

A. A. PAGENSTECHER, J. U. D. & P. P.

O Edler Musen Sohn! das heist recht angefangen!
Umb die sehr wehrte Krohn der Ehren zu erlangen!
Der seinen Geist wie Du durch Kunst und Tugend zeigt/
Wer durch des fleisses Schweiß den Wollust-Mattern
weicht!
Wer stets da gleich wie Du die Zeit hinbringt in Wachen!
Wen Bier / Toback und Wein muß andre lustig machen;
Und deren durre Kahl muß halb- und ganzen laben!
So liebstu halb bald ganz die Nacht durch Musen - Gaben.
O Edler Musen Sohn! das heist recht angefangen!
Fahr fort und immer fort in Ehren bald zu prangen!
Es eignet dir schon zu/ der Kluge Doctor CRAUSEN,
Den rohten Docters Hutt; Läß dan waz wil herbrausen/
Alsdan mit Raht und Taht / als du uns jetzt tuhst lehren/
Wirstu dein Vatterland beystehn / ja seyn in Ehren
Ein Stock darauff man vest sich lehnien darf/ ein Mann
In Raht und Taht / genand dan recht Herr Stockelmann.
Es kan nicht anders seyn / du must den Zweck erreichen/
Nachdem so früh vor dich Unwissenheit geht streichen.
Ey wacker dan darauff/ die Calcar Nymphen Schaar/
Minerva selbst ein Kranz mit bindent / reichert dar.
Ich wünsche Glück darzu / GOTT läß bey frühen Jahren/
In hoher Ehren-Würd' / Dir disz und mehr erfahren.
Disz ist deins Vatters Wunsch/ sein Trost/und mein Verlangen.
O Edler Musen Sohn! Du hast recht angefangen.

Anno cum
Patrlo Pater FRIDERICVS TertiVS Bran-
Deburgensis esset DVISBVRG, & Ke-
ferswertenses non parentes ferro &
gLobIs svbigeret.

Zu bezeugung seines Gemüthes schrieb
dieses sein Bruderlichen Freunde
Glückwünschend desselben ver-
pflichtester

ERN. CASIMIR. Wasserbach/
ein Westfalinge.

Sit licet armisonans, & territet omnia Mavors,
 Alliciat vires vulgus in omne suas:
 Exultet bellis, & sanguine gaudeat atrox,
 Omnia & injecto destruat igne furor.
 Tu tamen in mediis sectaris sedulus armis
 Artis, Amice, vias, rite colis studia.
 Tu belli temtis rebus, scrutaris abyssos
 Musis perfectum, Juris & artis opus:
 Perdius ac pernox Sacrata volumina juris
 Volvis, & assueta tempus in arte teris;
 Discis, ut innocuas possis defendere causas,
 Consilium insonti suppeditare Tuum.
 Rem facis egregiam, quod tradas jura benigna;
 Dum Bellona furit, rem facis egregiam.
 Nam sine Justitia, neque pax, vix bella valere
 Possunt, hanc poscit tempus utrumque simul.
 Hinc mihi Tu nitido Sapphiro, charior auro,
 Rarior & Gemmis, frater amice, manes.
 Ergo noster amor STOCKELMAN pergito cœpta,
 Scriptaque Doctorum volvere perge manu:
 Sic tibi lœtias, magnos cumulabis honores,
 Pro tantis Studiis, Laurea ferta feres.
 Hæc mea vota volunt, opto quæ fronte benigna
 Suscipias, longum dulcis Amice Vale.

*Hæcce in perpetua amicitiae tesseram Doctissimo
 Domino RESPONDENTI Amico & Con-
 tubernali suo plurimum amando, colendo,
 ponere voluit, debuit*

WILHELMUS MOTZFELDT, J. S.
 Udemia - Clivensis.

Duisburg, Diss., 1661-99
(1)



Sb

KD7



Farbkarte #13

B.I.G.

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black



et Consilium !

RIDICUS,

1689,

IE CON-
RITI,

E

ultissimo

CRUSIO,

usque in Incly-
quæ est Duisbur-
te, Antecef-

iræ submittit

CKELMAN,
studios.

liem 30. Junii,

I I.

TENUM,
Academ. Typogr.
XXIX.